

sustinendi, utraque etiam suspensa maneret procul dubio, si commercii inter se nihil haberent, ab invicem in *b* discessuræ potius (uti factum est in casu præcedente) quàm se mutuò pressuræ (quod in præsentis contingit.) Quia enim neutra columna eam habet altitudinem, sub qua cum aëre externo staret in æquilibrio, vincentes utriusque minorem resistentiam externi aëris vires, eas inter se collidunt ut mutuâ pressione in se invicem agant. Quia tamen altera est paulò sublimior & consequenter ponderosior, *b c* nimirum, ideoque externo aëri magis resistit ac debiliùs sursum urgetur, deorsum autem pondere suo magis tendit alterâ *b a*, quæ brevior ac minùs ponderosa fortiùs ab aëre externo in sublime propellitur; ideò contingit ut hæc brevior longiorem cedere cogat, fluxumque adeò ex causa dicta semel coeptum postea, non cessante causâ eadem, continuet. Quo semel dato, necessum est, mutatis vicibus, ut columna priùs sublimior jam sit brevior, & quæ brevior antè fuerat, jam evadat longior (ut in Phæn. 6. contingit) etiam eff. Etum ratione loci sitùsque mutari, ita ut hydrargyri fluxus ex crure *db* in crus *ba* retrò contingat.

CONCLUSIO V. Quod porrò aqua in utroque siphonis altioris & angustioris crure super hydrargyri ponderosa massa quiescat, id verò mirum nemini videbitur, qui novit eandem aquam ne quidem in aperto aëre defluere ex tubulo etiam altiore, sed ab ipso suspensam teneri, prout ex Phæn. IV. Tentam. III. Part. I. constat; tametsi alia planè hic sit, quàm ibi, ratio, & in eodem hoc siphone, si nempe crus unum altero longius fuerit, in aëre aperto aqua confestim per brevius crus *ab* sursum, indeque deorsum per longius alterum *bc* deorsum propulsa excidat; uti notum est ex Phæn. VIII. Tentam. V. Part. I. cujus causam dedimus in Conclus. VII. ejusdem Tentaminis. Eadem interim causa quæ in allegato modò Phæn. aquam è siphone prorsus extruserat, in præsentis casu aliquantulum eam elevavit in crure brevioris, ejusque

Causa 7.
Phæn.

M

que